



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Altha, siue Altaich Sverivs, ad Danubium, in Bauaria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

uilegia immunitatis, & prædium in *Spitz* & in *Bachouia*, in Austria anno 812. Chronicon monasterij Altaichensis per Georgiū Abbate conscriptum, tradit Carolum Magnum, cū terram Auarorum siue Pannoniam, quæ nunc Austria est, octo annis perdomuisset, expulsis Auaris, totam inter Ecclesias Bauariæ, Pontifices, Abbates, Comites & Barones diuisisse, & monasterio Altaich magnam partem tradidisse. *Ludouicus* item, Caroli Magni nepos, Orientalis Franciæ Rex, tradidit Ecclesiæ Altaichensi quædam priuilegia an. 843.

Huic monasterio Altaichensi incorporatum est monasterium de *Rinichnach* an. 1040. vt tradit *Hundius* in Metropoli Salisburgensi.

Altha, siue

ALTAICH SUPERIVS, ad Danubium,
in Bauaria.

VTilo Dux Bauariæ, instinctu S. Pirminij, Episcopi Metensis, qui tunc apud ipsum erat, sex monasteria construxit, vnum prope *Menem* lacum Noricorum (de quo supra diximus) quinque in inferiori Bauaria iuxta Danubium, *Patauiæ Nidernburg*, pro sacris virginibus, *Osterhouen*, *Pfaffenmunster*, *Altaich superius* & *inferius*, quæ S. Pirminius dedicauit. Althæ superiori *Etao* Argentoratensis Episcopus dedit monachos S. Benedicti, circa annum Domini 739. Aduocati Althæ superioris fuerunt Comites de Pogen, qui

739.

multa

multa beneficia ei contulerunt. Nam *Asvvinus & Fridericus*, Comites à Pogen, monasterium hoc ab Vngaris exustum anno 1102. instaurarunt; vnde non solum pro Aduocatis verum etiam pro secundis fundatoribus illius monasterij habiti sunt. Sic idem Hundius in Metropoli Saliburgensi.

CAPVT XXXVIII.

Fuldense monasterium in Silua Buchonia in Germania

ANnalia litteræ annum signant conditi Fuldenfis monasterij septingentesimum quadragesimum quartum ab ortu Christi. Testis Rodulfus historicus Fuldenfis, his verbis: *Monasterium constituit S. Bonifacius monachorum anno ante passionem suam decimo, qui fuit ab Incarnatione dominica quartus & quadragesimus & septuagesimus annus*: quo nihil dici potuit rotundius. Passus est enim S. Bonifacius anno 755. in Iunio; Rudolfo assentitur Marianus Scotus, & alij: Neque interest biennio citius à Sigeberto vel ferius ab alijs originem hanc litteris commendare.

Consummando monasterio auctores extiterè Carolomannus princeps, idem Pipini frater, Caroli Martelli filius & Caroli magni patruus, nec nò Zacharias Pötifex Romanus.